MISSALE DIOECESIS PATAVIENSIS . LEKTIONAR
Diözese Passau / Salzburg, Seite 277r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8340
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



ad occisionem ductus est: et sicut agnus coram tondente se sine voce
sic non aperuit os suum. In humilitate iudicium eius sublatum est. Generationem
eius quis enarrabit quoniam tollet de terra vita eius. Respondens autem
eunuchus phylippo dixit. Obsecro te de quo propheta dicit hoc. De
se an de alio aliquo. Aperiens autem phylippus os suum et incipiens a
scriptura ista. euglizauit illi ihesum. Et cum irent per viam venerunt ad quan
dam aquam. Et ait eunuchus. Ecce aqua quis prohibet me bapti
zari. Dixit autem phylippus. Si credis ex toto corde licet. Et
respondens ait. Credo filium dei esse ihesum xpm. Et iussit stare currum.
Et descenderunt utrique in aquam phylippus et eunuchus. et bapti
zauit eum. Cum autem ascendisset de aqua spiritus domini rapuit phylip
pum. et amplius non vidit eum eunuchus. Ibat autem per viam suam
gaudens. Phylippus autem inventus est in azato. et pertransiens
euglizauit ciuitatibus cunctis donec veniret cesaream domini nostri ihesu xpi // nomen
In illo tempore. Maria stabat ad monumentum foris plorans. Johannis
Dum ergo fleret inclinauit se et prospexit in monumentum. et vidit duos
angelos in albis sedentes. unum ad caput et unum ad pedes. ubi
positum fuerat corpus ihesu. Dicunt ei illi. Mulier quid ploras?
Dicit eis. Quia tulerunt dominum meum. et nescio ubi posuerunt eum.
Hec cum dixisset conuersa est retrorsum et vidit ihesum stantem. et nescie
bat quia ihesus est. Dicit ei ihesus. Mulier quid ploras? Quem
queris? Illa existimans quia hortulanus esset. dicit ei. Domine si
tu sustulisti eum dicito mihi ubi posuisti eum. et ego eum tollam. Dicit
ei ihesus. Maria. Conuersa illa. dicit ei. Rabboni quod dicitur magister.
Dicit ei ihesus. Noli me tangere. non dum enim ascendi ad patrem meum.
Vade autem ad fratres meos. et dic eis. Ascendo ad patrem meum. et
patrem vestrum. et deum meum et deum vestrum. Venit maria magdalena
nuncians discipulis quia vidi dominum et hec dixit michi.
Feria vj. lectio epistole beati Petri apostoli.